



Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV., Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt & reges Francorum, Carolvm Martellvm, ...

Gretser, Jacob

[München], 1613

Jtem exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Carolvm Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones seu benedictiones pro cruce, quam ei miserat, & de territorio Populoniensi seu Rosellensi, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

reuertentes vomitum; & tunc canonica promere sententia, quatenus si veraciter reuersi in fide orthodoxa maluerint perseuerare, promissuros se omnem adimplere Episcopalem prædicationem, indiculum orthodoxæ fidei exarantes, secundum olitanam patrum traditionem, vnum confitentes baptismum, sub iusiurando pollicentes, fidem Christianitatis seruaturos; in gremio suscipiantur, orthodoxæ fidei Ecclesiæ, vt copiosa merces vobis adscribatur in coelis. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Item exemplar Epistola eiusdem Papa, ad Domnum Carolum Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones seu benedictiones pro cruce, quam ei miserat, & de territorio Populoniensi seu Rosellensi, vt Dominus Rex suos idoneos Missos dirigeret, qui sub integritate ipsas ciuitates cum suburbana earum ei contradere debuissent.

LXXI.

DOMNO excellentissimo filio nostroque spiritali compatri Carolo, Regi Francorum & Langobardorum atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Præcellentissimos atq; nitidissimos Deo dicatæ regalis præcellæ scientiæ vestræ mellifluos suscepimus versos, quos referantes atq; singillatim relegentes, eorū robur, cum nimio amplectimur amore, & procul dubio vestra credere dignetur regalis potestas, quia omnino sicut per eos innotuistis, à nobis in omnibus perficietur, testem enim inuoco Deū, cui seruiō in spiritu meo, quod sine intermissione die noctuq; semper memoriam vestri facio in orationibus meis obsecrans, tam pro vestra in triumphis regali victoria, & perpetua stabilitate, quamq; p̄ sanctæ

Summ. 8.
Bar. 6.
Cent.

m 2

memo-

* Hiltegar-
da.

memoriae genitoribus vestris, simul coniuge vestra-
domna * Hiltibranda Regina, filia & spiritali comma-
tre nostra, & nempe eorum memoriale non derelin-
quetur in aeternum.

Crucem quam nobis misistis, in sanctam nostram
Ecclesiam recondentes vestra memoria in aeternum
in ea manebit. De sospitate enim nostra, quam vestra
regalis cupit audire clementia, omnia erga nos, DEO
fauente, prospera existunt, quia & nos de vestra regali
salute atq; victoriis certo audire desideramus, quoni-
am vestra salus, nostra est; & hoc magnopere posci-
mus; & sicut per anteriores nostras Syllabas, vestram
poposcimus regalem potentiam, ita perficere digne-
tur, uti denuo eos Missos suos dirigere iubeat qui no-
bis contradere debeant fines Popolonienses seu Ro-
sellenses, sicut ex antiquitus fuerunt. Nam ex parte
nobis ex ipsis finibus non tradiderunt; sed quaesumus,
ut vestrae regalis oblationis donatio sine tenus maneat
inconuulsa; praesertim & partibus Ducatus Beneuen-
tani idoneos dirigere dignetur Missos, qui nobis, se-
cundum vestram donationem, ipsas ciuitates sub inte-
gritate tradere, in omnibus valeant; ut ex hoc potissi-
mam remunerationem vna cum spiritali filia nostra
domna Regina, vestraq; praecellētissima prole ab ipso
regni caelorum clauigero, B. Petro Apostolo, su-
scipere mereamini. Incolumem Excellen-
tiam vestram gratia superna
custodiat.



Item